

Cap. XXXII. De furtis fructuum et de hiis qui accipueri[n]t alienos fructus et fenum.

Hac constitutione sancimus quod quecumque persona inventa fuerit vel deprensa comedere seu accipere in vineis ortis et campis alienis districtus Tergesti uvas vel alios fructus de die, solvat comuni libr. quinque sold. sex et par. octo nomine pene. ¶ Si vero colligerit sive portaverit aliquos
 138 A fructus vel olivas in gremio pilio cisto // vel alio ordeigno, solvat comuni libr. septem par., sold. tresdecim et par. quatuor, et si fuerit de nocte cadat ad penam decem libr. par. ¶ Si vero
 vindemiaret vel vindemiaverit unam corbam vel extimationem unius corbe, si fuerit de die, cadat ad penam comuni duodecim libr. sold. sex et par. octo pro qualibet corba vel extimatione corbe¹⁾ et refitiat dampnum domino rei, et si non habuerit
 unde solvere frustetur et buletur; et si fuerit de nocte persona contrafatiens cadat ad penam quinquaginta libr. par. et nichilominus unius marche frx. pro qualibet corba vel extimatione corbe. ¶ Et si qua persona inventa fuerit recipere poma engrenata in alienis possessionibus, si fuerit legitime etatis cadat ad penam libr. septem sold. tresdecim et par. octo. ¶ Et si quis
 receperit roxas sar(a)menta(s) vites vel aliqua alia similia, solvat comuni viginti sold. par. ¶ Et si qua persona accusata de supradictis non esset legitime etatis, cadat a(d) pena supradicta inferius in discretione domini, considerata qualitate persone et condicione culpe. ¶ Et quod acuse de supradictis
 fiant per acusantes domino potestati vel eius vicario tantum, quibus acuis sic factis dominus potestas vel vicarius domini potestatis incontinenti mittere debeat per personas acusatas unam vel plures, et ab ipsis exigere penas ad quas incurserunt
 138 B secundum formam presentis statuti, et eas costringere ad // standum in palacio donec solverint. ¶ Et si persona condemnata vel accusata non esset solvendo, ponatur in basta, in qua stare debeat suis expensis et non exire donec solverit; et quod de predictis acuis nulla fiat proclamatio excusarum

¹⁾ extra corbem. Stat. 1365: extimatione corbis.